



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum II. Non solùm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

De Regularibus, & Transeuntibus ad Religionem. 411

l. 7. de matrimonio. Cetera, quæ in hoc cap. dicuntur, ex suprâ dictis intelliguntur.

CAPITULUM II.

Non solum.

PARAPHRASIS.

Distictè mandat Alex. IV. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus in virtute Obedientiæ, & sub pœna Excommunicatiõnis, ne quemquam ante annum probationis elapsum recipiant ad professionem, aut intra dictum annum impediunt, quò minus ad aliam Religionem transeat, vel omnino ad seculum redeat; nisi major 14. annis expressè vel tacitè professus sit, aut evidenter constet, illum vitam mutare voluisse. Decernit insuper, eum, qui contra hunc Canonem recipitur, non esse Ordini alligatum, ac recipientes à receptione quorumlibet ad professionem, esse ipso facto suspensos, & pœnæ gravamini subdendos.

SUMMARIUM.

Circa Professionem ante completum annum Novitiatus emissam diversis temporibus diversa fuerunt statuta.

PRO intellectu Capituli tria tempora distingue: nam olim annus probationis, secundum regulam præscriptus erat, sed ita, ut ei renunciari posset à recipiendis, & recipiendis, idèoque ex utriusque partis consensu, professio fieri ante exactum annum. *c. ad Apostolicam 16. hoc tit.* At verò juxta tempus hujus Capituli renuntiatio ista in Religionibus Mendicantium Fratrum Prædicatorum, & Minorum, sublata est, ita ut licitè fieri non possit professio, ante completum annum; atramen facta obligaret, non quidem ad hanc, sed ad Religionem aliquam, quam professus ingredi mallet: in alijs autem Religionibus nulla veteris juris correctio facta est, Denique

Con. Trid. *Sess. 25. c. 15. de regula.* univèrsim statuit, ut professio in quacunque Religione (exceptis Militaribus, in his enim professio fieri solet etiam circa annum 13.) ante exactum annum probationis, & completum 16. neque licita, neque valida sit, nullumque effectum producere possit. Vide, quæ docui in *cap. consulti 20. & cap. penult. hoc tit.*

CAPITULUM III.

Constitutionem.

Quæ hîc dicuntur, fermè sublata sunt per Trident. Inrelliguntur verò ex ijs, quæ dixi in *c. ad nostram 8. & c. penult. c. 1. hoc l. & tit.*

CAPITULUM IV.

Beneficium.

PARAPHRASIS.

Si Clericus Beneficiarius Religionem ingrediatur, beneficium ejus intra annum probationis alteri conferendum non est, nisi ipse consentiat; vel nisi constet, quòd vitam voluerit absolute mutare; vel nisi professionem fecerit expressam, vel tacitam: sed interea dum annus probationis durat, beneficio per vicarium inserviri debet, de proventibus parte congruâ eidem assignatâ.

SUMMARIUM.

1. *Beneficium ingressi in Religionem Beneficiarii non vacat, durante novitiatu; & exceptiones, quæ in hoc textu ponuntur, hodie vi Tridentini locum non habent.*
2. *Novitius Canonatum habens, utrum tempore novitiatus jus suffragij habeat, Pralaturâ vacante?*
3. *Novitio num conferri possit Beneficium?*

Fff 2

Notan-